



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis  
Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev  
De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

I. Reges Franciæ nunquam contenderunt jus Regaliæ porrigi debere ad provinciam Burdegalensem. Si jus illud illic in usu fuisset, pertinuissest ad Duces Aquitaniæ. Probatur ex arresto quodam Parlamenti ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

I. **A**QUITANIA nunc tractanda causa est : circa quam duo quædam constituere possumus , quæ verissima sunt citra omnem controversiam. Primum, Reges Franciæ nunquam contendisse jus Regalia porrigi ad eam provinciam. Secundum, si jus illud in usu illic fuisset, ad Duces Aquitanæ pertinere debuisse. Probari illud abundè potest ex arresto Parlamenti Parisiensis lato anno. MCCLXXVII. in quo memorantur literæ quædam Regis Angliae, qui professus fuerat non posse se uti jure Regalia in Ecclesia Burdegalensi, id est, ad se non pertinere usumfructum redditum Ecclesiæ Burdegalensis interim dum sedes vacat. Earum præterea literarum vis firmata est declaratione facta à procuratoribus illius Regis, qui publicè professi sunt nolle Regem venire contra illas literas. Regis Angliae declaratio eò majoris momenti est ad afferendam immunitatem canonicam provinciæ Burdegalensis, quod jure illo Regalium in regno Angliae uteretur, ut suprà probavimus ex rescripto Alexandri III. & pater etiam ex consuetudinibus Clarendonæ apud Matthæum Parisium : *Cum vacaverit vel archiepiscopatus vel abbatia vel prioratus in dominio Regis, esse debet in manu ipsius ; & inde percipiet omnes redditus & exitus, sicut dominicos redditus suos.* Visis itaque literis Eduardi, & audita declaratione procuratorum ejus, visisque privilegiis Ecclesiæ Burdegalensis, pronuntiatum fuit custodiæ bonorum ecclesiasticorum pertinere ad Capitulum, sede Burdegalensi vacante. Hæc sunt verba arresti : *Notum facimus quod sede Burdegalensi vacante, & archiepiscopali bonis captis in manu nostra, pro contentione que erat inter dilectum consanguineum & fidem nostrum Regem Anglia illustrem ex una parte & Capitulum Burdigalense ex altera, super eo quod dictus Rex dicebat se habere Regalia in eisdem, procuratore dicti Capituli hoc negante, & è contrario pro dicto Capitulo proponente custodiæ bonorum dicta sede vacante ad dictum Capitulum perinere, & in ipso judicio exhibente quandam literam dicti Regis Anglie & patris sui, per quam apparebat quod dictus Rex Regalia non habebat ibidem, tandem hujusmodi negotio in nostra Curia pendente, procuratores dicti Regis Anglie super dicta litera consulere voluerunt ipsum Regem ; qui per procuratores suos Curie nostræ significavit quod contra dictam literam venire non volebat. Visis quibusdam privilegiis Ecclesiæ Burdegalensis, pronuntiatum fuit per Curie nostræ judicium custodiæ bonorum archiepiscopali, sede Burdegalensi vacante, ad dictum Capitulum perinere.*

II. Privilegia Ecclesiæ Burdegalensis, quorum in hoc arresto facta mentio est, intelligenda sunt de literis Ludovici Crassi Regis, ejusque filij Ludovici junioris, datis in gratiam Episcoporum & Abbatum provinciæ Burdegalensis, ex quibus colligerunt Chopinus & Pafquierius exemptionem Regaliæ indultam esse huic provincia ab Regibus illis. Extant autem privilegia illa in regestis Parlamenti Parisiensis itemque in regestis camerae Computorum sub titulo *De remissione Regalie Burdegalensis Ecclesiæ.* At ego contendo nequaquam heic agi de Regalia : quæ nondum introducta erat ævo illorum Regum, neque quoad usumfructum redditum, neque quoad collationem Præbendarum. Vnde factum ut in eis literis nulla mentio eorum facta sit, ususfructus nimirum, neque collationis Præbendarum. Hæc enim omnino sunt verba privilegij à Ludovico Grossio concessi : *Eapropter petitionibus vestris, communicato prius Episcoporum, Abbatum, & procerum nostrorum consilio, assentiente Ludovico filio nostro jam in Regem sublimato, duximus annuendum, & in sede Burdegalensi & in predictis episcopalibus sedibus & abbatis ejusdem provincie, que defuncto illustri Aquitanorum Duce Comite Piætaviensi Guillermo per filiam ipsius Alienoram jamdudum filio nostro Ludovico sorte matrimonij cedit, in Episcoporum & Abbatum suorum electionibus canonicam omnino concedimus libertatem, absque hominj, juramentis, seu fidei per manum date obligatione.* Porro decadentis Archiepiscopi & suffraganeorum ipsius Episcoporum sive Abbatum decadentium res universæ successorum usibus regia auctoritate servari voluntus & concedendo precipimus illesas. Hoc quoque adjicentes, ut omnes Ecclesiæ infra denominatam provinciam constitute preda, possessiones, & universa ad ipsas jure perinventia secundum privilegia, justicias, & bonas consuetudines suas habeant & possideant illibata. Quinto Ecclesiæ ipsis universis & earum ministris, cum possessionibus suis, canonicam in omnibus concedimus libertatem.

III. Fateor equidem ex eo privilegio sequi usum Regaliæ non esse introducendum in futurum in provinciam Burdegalem. Veruntamen contendo eo non remitti eum usum. Neque sanè id fieri potuit, cum ea lex nondum bene recepta esset in regno. Multò minus probabile est in Aquitania valuisse ; ubi pietas Gulielmi Duci ac numerus Conciliorum Piætaviensium edicta obstatiterant ne consuetudo illa irrepereret. Nam anno millesimo centesimo synodus Piætaviensis à Paschali secundo Papa cum consensu Gulielmi Aquitania Ducis coacta prohi-

Choplin. lib. 1. de  
Dom. Tit. 9. § 5.  
Pafquier. lib. 3.  
cap. 17.